

## S C L A V O N I A.

Regio & unde  
dicta.

Nomina.  
situs.

Aeris qualitas.

Soli fertilitas.

Urbes.

**I**Nter Regiones quæ hac Tabula nobis repræsentantur, primum locum sibi vindicat *Sclavonia*. Hæc à gentē Sclavonica nomen habet, quæ olim ad Mæotidem paludem habitavit. Dicta quoque fuit *Illyricum* Plin. ab *Illyrico* Cadmi, vel ut alij sentiunt, Polyphemi Filio. *Illyris* Ptol. *Illyria* Steph. Eam alij aliter definiunt. Ptolemæus ab Istria ad Macedoniæ usque confinia secundum maris littora producit; mediterranea ejus ad Pannonem & Mœsiam superiorem expandit. Multo ampliorem eam describit Pomponius Mela, & Dionysius Alexandrinus: totam enim maris Hadriatici oram, a Tergesto ad Ceraunios usq; montes, Illyriis adscribit; eosque ultra Danubium fluvium habitare docet: Danubium namque inter ejus flumina Mela numerat. Alij etiamnum latius huius fines extendunt. Plinius vero inter Arsiani & Titium fluvios constringit. Plerique in ea describenda Ptolemæum sequuntur, secundum quem continet Illyris qua Macedoniam spectat, Dalmatiam, & Liburniam quam *Crabatem* nunc Lazius vocat: alij Croatiam: Pinerus Comitatum Iaderæ, hoc est *Contado di Zara* indigitat. Longitudo ab Arsa ad Drinum usque est mill. Italicorum CCLXXX. Aere fruitur locis nonnullis puro ac salubri, quibusdam minus grato, qua paludes ac exhalationes tædæ eum inficiunt. Regio omnis, teste Strabone, aprica est & amœna: optimos habet & firmos maris Portus, solum fertile, etiam vitiferum, nisi qua saxis & rupibus horret, aut ad Pannonias, ubi frigida est & nivalis. Florus de Illyriis scribit primo bello Punico Illyrios populationibus non contentos, licentię scelus addidisse, legatos Pop. Romani jure agentes, non gladio, sed ut victimas securi percussisse: Præfectos navium igni combussisse, idque, quod indignius foret, muliere imperante, quam ille *Tentam* vocatam scribit. Rursum bello Macedonico Illyrij a Perse Rege conducti Romanum militem a tergo cœperant distringere, sed deleta ab Anicio Prætoræ Scorda, quod Caput gentis erat, statim sequuta deditio est. Plinius oram Illyridis mille amplius Insulis frequentari scribit, quum contra Italix ora huic obversa importuosa sit. Illyridis urbes potiores & Opida sunt *Senia* Vrbs, vulgo *Segna*, in planicie sita ad Mare, quod a Borea vento horridis tempestatibus obnoxium. *Iadera* Colonia Liburnorum Metropolis, hodie præcipua ac munitissima. *Zara*, vulgo *Sebenicum* Opidum Ptol. *Sicum* dictum. *Sicum* est in Sinu Scardonico, in conspectu irrumpentis Freti ad montis radicem, ubi est Arx. Fertiles habet agros, sed male nunc habitatur ob Turcarum vexationes. *Spalatum*, & *Salena* Ptolemæo & Straboni celebrata. *Safona* etiam, Dalmatarum navale, quod quidem nunc parum colitur, ob Turcarum viciniam.

*Tragurium*